





IV.45.

29

DECANUS
ORDINIS THEOLOGICI

IN

ACADEMIA VITTEMBERGENSI,

GOTTLIEB

1700

VVERNSDORFIUS,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

Ordin. Templo OO. SS. Præpositus,

& Alumn. Saxon. Ephorus,

75

LECTURIS

S. P. D.

*Progr. D. Praeceptor. Orat. D. Aug. Mulleri de j. v. in
Lutheri cathedram, Acad. Vith. p. 1700*

30 4,48



DECANUS
ORDINIS THEOLOGICI
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI
GOTTLEB
VVERNSDORFIUS
Ss. Theol. Doct. & Prof. Publ.
Ordin. Templo O. Ss. Propositor
& Alim. Saxon. Episcopus
LECTURIS
S. R. D.





Bi ad eorum vitam, moresque atten-
dimus, qui hoc tempore pietatem
longo velut ab exilio, se reducturos
jactant, facile deprehendimus, ni-
hil tam integrum, ac honestum,
imo sacrum, sanctumque, esse,
quod non ab iisdem ad vitium, de-
decus, & opprobrium transferatur.

Quid dignius nomine γνησίως Lutherani, quum Paulus
ipse Timotheum ab hypocritis, & spuriiis distincturus,
honoris eum causa γνήσιον τέκνον ἐν πίσει salutarit. At
nunc in ludibrium abiit γνησίως Lutheranorum nomen,
ita, ut, quorum vel mores, vel zelum improbant, hoc
titulo a se, aliisque, distingvant sanctuli, digni, qui νό-
θοι deinceps Lutherani dicantur, quando γνήσιοι audire
nolunt. Jam, quid sanctius est, *Orthodoxi* titulo, quem
pia etiam antiquitas, nullo non tempore, inter decora nu-
meravit? At nunc præclarum illud nomen, per detestabi-
lem quandam παρανομασίαν in *Orthodoxi* mutatum, & inter
convitia, quibus lacerantur boni Viri, rejectum fuit. Quid
innocentius publice docentium sede, quam *cathedram*
appellamus? Et quis crederet, homines, Christianam re-
ligionem professos, eo usque, vel stoliditatis, vel malitiæ
progredi posse, ut tabulatum hujusmodi, matri purioris
doctrinæ inviderent, ac in convitium verterent, quod
optimus quisque atque piissimus, inter felicitatis, non
tam hujus Academiae, ac urbis, quam totius Ecclesiae
numeraverit? Ecqua enim est sacrorum repurgatorum
pars, aut quod emendatum religionis caput, quod non
Divi Lutberi Cathedra, si dicere velimus, quod res est, sua
velut incunabula debeat? Quicquid, e verbo DEI,
certi, rectique traditum, quicquid veritatis e tenebris
erutum, ac velut adversariorum manibus extortum fuit,

id omne, post Deum, non cathedræ quidem, aut nudæ
asserum constructioni, sed LUTHERO tamen, ejusque
in cathedra sociis, Collegisque, in acceptis ferendum est.
Ac olim quidem, quum jugi Pontificii, ac pristinae cala-
mitatis memoria Divi *Lutheri* operam commendatiorem
redderet, non defuerunt, qui remotissimas inter gentes
magnitudinem beneficii grata mente agnoscerent, ac de-
prædicarent. Ipse *Abr. Scultetus*, religione Reformatus,
in Annalibus, auctor est, nonnullos ex ultimis, quum huc
venissent terris, ad primum Urbis conspectum, descen-
disse de curru, in genuaque prolapsos, sublatis in cœlum
manibus, æterno Numini gratias egisse, quod eam sibi
urbem videre contigisset, e qua purioris doctrinae lumen
per universum, qua patet, orbem, disseminatum fuisset.
Eo numero ac loco *Lutheri* tunc habebatur Cathedra.
Nunc autem, cum omnia in deterius ruunt, ad eum fu-
roris gradum quorundam malitia ascendit, ut inter ex-
ercendæ loquentiæ, ac dicacitatis argumenta, & materias
referatur, Vittembergensem Academiam, in eaque Divi
LUTHERI Cathedram, proscindere posse convitiis.
Non Parisiorum Sorbonna, non sedes Romanorum Pe-
trina, non ipsum Pontificis regnum, tam invisum est isti
progeniei, quam *Divi LUTHERI* Cathedra. *Zieroldus*, homo
ferus, sine ingenio, sine doctrina, quo acrius pungeret
Nostram, eandem ab ipso *Luthero*, paulo ante obitum,
spiritualem Sodomam dictam fuisse, adducto Seckendorffii
loco, affirmare non dubitat *in Comp. Theol. p. 186.* Sed me-
minisse Obtrektor debebat, quod Lutherus, non sibi re-
lictus, sed ICTorum quorundam sententiis irritatus, Wit-
tebergam vituperarit, nec tamen *spiritualem Sodomam*,
quippe quod nominis Romæ proprium esse norat, sed
Sodomam simpliciter, idque non ob *doctrinam*, sed *mores*,
Sodomiticis similes, utpote juvenum proterviam, & puel-
larum

larum procacitatem, dixerit. Quæ duo si ad imponendum *spiritualis Sodomæ* nomen sufficiunt, viderint, imprimis *Hale Venedicæ*, ne ob eosdem mores eadem ipsis macula inuratur, quum procacitas puellarum ejus urbis (exceptis tamen excipiendis) jamdudum in proverbium abierit. Pietaster vero, corruptis, per additamenta, *Lutheri* verbis, quæ hic privatis ad Uxorem literis inseruerat, de publico scripto intelligit, quæque is de *moribus* accepta voluerat, transfert ad *doctrinam*, denique *spiritualem Sodomam* dictam fuisse, scribit, tantum, quo titulum, invidiæ plenum, *Romæ* detrahat, & in *Vittembergam* conjiciat, atque hanc multo, quam illa est, deteriorem, ac nocentio rem esse, ostendat. Cujus atrocitatem calumniæ Deo, justo judici, vindicandam relinquimus. *Arnoldus* vero, ille calumniarum omnium, & convitiarum promus condus, quantam in hanc Academiam, Divique *Lutheri* cathedram bilem evomuit? Longa est injuria, longæ ambages, nec placet, illis vel recitandis, vel confutandis nunc immorari. Unus mihi prætereundus non est, qui hoc tempore propemodum gregem obtrectatorum ducit, *Joach. Langius*. Hic in suum longum Barbarum præfaturus, postquam sibi de Lipsiensium gratulatus consensu fuerat, flexo ad *Vittembergam* sermone: *Unica*, inquit, *cathedra*, sicuti *fabula Pietistica* auctor extitit præcipue, sic eandem alit adhuc, una atque altera e reliquis, si non ex toto, certe tamen ex parte, in *heresiopocias* sue societatem pertracta. Quæ hujus cathedra intemperies, anne hætenus dictaturam quandam affectaverit, partim etiam usurpaverit, in reliquas, imo universam Ecclesiam, sed sine *Christiani* populi suffragio, prudentiorum esto judicium - - - Noverit vero, sibi rem esse cum iis, qui inter *Evangelicos* *Papas*, imo & *Cardinales*, agnoscunt nullos - - - *Ætas* nostra, quia longe aliam exhibet faciem, etiam alios mores postulat.

Sic ille Longo-barbarus, ore barbaro, furore barbaro, dente Theonino, Lutheri arrodit cathedram, calumnias calumniis addens, ne perpluat. Nimirum id honoris matri Ecclesiarum Evangelicarum habetur: hæc gratia Vittembergæ pro suis in eas meritis redditur. Pii Veteres *Alexandrinam* urbem eo etiam nomine in pretio habuerunt, & reliquis anteposendam esse putarunt, quod divus *Marcus*, & sat diu in ea docuerat, & sedem quoque suam ei custodiendam & asservandam reliquerat. Servator ipse, ut tum temporis non optimæ notæ Viri eandem occupaverant, de Mosis tamen cathedra honorifice loquebatur *Matth. XXIII, 3*. Isti vero Impii calcibus matrem petunt, cujus ex uberibus lac doctrinarum suxerunt, & quantum in se est, velut *Numantiam* quandam, aut *Carthaginem*, deletam cupiunt. Paulus hoc nomine reprehendebat Corinthios, quod libertatis prætextu nimium sibi sumere, & parum ad matris Ecclesiæ instituta & mores respicere videbantur. *Quid?* ait: *Num a vobis profectus est sermo Domini, aut ad vos solos pervenit?* *1. Cor. XIV, 36*. non obscuro indicio, recentiores Ecclesias vetustioribus, a quibus verbum Domini acceperunt, si non obsequium, saltem humanitatem, debere. At, quid jam diceret LUTHERUS, si canum, & venerabile caput e monumento efferret, posterosque illos degeneres Cathedram suam inter convitia reposuisse cognosceret? Annon justa indignatione commotus, diras imprecaturus erat mortalium ingratisimis, & optaturus, ne quid deinceps veritatis, ex hac Cathedra prolatae, ac propagatae reliquum haberent, quo vel carendo discerent, quantum sibi, doctrinaeque suæ, beneficium debuissent? Enimvero, si inani superbiremus tabulato, aut super alios nos efferremus propterea, si quoddam infallibilitatis privilegium eidem tribueremus, & cathedrae

dræ ipsi, nescio quam, auctoritatem, vel sanctimoniam
vendicarem, si denique plura nobis in alios, quam
aliis in nos ipsos permittimus, sumeremus, tum esset,
cur nos eo nomine homines non minus, quam, ob ja-
ctatam Petri cathedram, Pontificios, reprehenderent,
ac taxarent. Nunc ubi eandem non magis, quam vel
Iurorum, vel Medicorum, sanctam putamus, eandem-
que, ubi res postulat, cum his, tum aliis Collegis, li-
bentes utendam concedimus, denique illa tantummodo
ad describendam Nostram, ut veteres *Marci* cathedra,
ad significandam *Alexandrinam* Academiam, utimur,
quæ isthæc vel malitia, vel indignitas est, ab ipsa ligno-
rum structura telum in nos contorquendum deprome-
re? Longo-Barbarus furore ac invidia cæcus, multo-
rum eam accusat criminum, non minore tamen injuria,
quam impudentia impactorum. *Fabulam* nominat Pie-
tismum. Et utinam esset! Sed totus ingemiscit Luthe-
ranus orbis, ac dolet, nisi tempestive quærantur reme-
dia, brevi se tempore totum eo inficiendum esse. *Fa-
bula auctorem* Lutheri Cathedram appellat, quum ta-
men & primum de *Pietismo* certamen, & ipsum *Pietista-
rum* nomen *Lipsie* ortum fuisse, sit in propatulo. *He-
resiopoeias* eam insimulat, nempe quia non, ut alii, fa-
naticos, sed veros, germanosque Lutheri filios emittit.
Intemperiei eam accusat, utut non, more Pietistico, cla-
moribus, convitiis, & famosis libellis, sed rationibus,
& argumentis rem agat. *Affectata* denique *Dictatura*, &
Pontificia tyrannidis damnatur, non aliam opinor ob cau-
sam, quam quia subintroductis falsis fratribus cedere,
veritatem prodere, vel etiam quidvis statuendi, docen-
dique licentiam permittere dubitavit. Si quis enim *Pa-
pas* & *Cardinales inter Evangelicos ferre non potest*, ei ab
Halis potius, quam *Vittembergæ*, cavendum est, quod *Ab-
bates*

bates ad illorum conditionem multo, quam Doctores, quos sanctuli per contemptum *Scholasticos* nominant, accedunt. Præter meritum igitur tantum vicinorum odium hæc Cathedra incurrit, & si dicendum quod res est, nulla re magis, quam Diaboli, & fociorum ejus, invidia laborat, qui, sicut non ignorat, quantum regno suo ex eadem damni illatum fuerit, sic eam, præ aliis omnibus, implacabili odio persequitur, ac infestat. Nec enim video, cur, quum *Lipsia, Fena, Tubingæ, Helmstadii, Kilonii*, ac in nullis denique non Academiis, cathedræ occurrant, ceteræ omnes absque convitio transmittantur, una LUTHERI cathedra, quam in pretio habere omnes debebant, multis intemperis laceretur. Scilicet, si timidi, somnolenti, vel tepidi, conniveremus ad omnia, & quod quis ajeret, ajeremus, quod quis negat, ipsi etiam negaremus, errores omnes, etiam sat crassos, pro indifferentibus haberemus, vanitates, & delicias seculi magis, quam Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem spectaremus, tum vero nos haud dubie multorum voluntates, & studia, cum nullis non elogiis, retineremus. At vero, quia veritatem a majoribus traditam intemeratam servamus, & servandam aliis commendamus, errores omnes fugimus, improbamus, rejicimus, denique a doctrina, Scripturis, & Symbolis comprehensa, ne latum quidem ungvem recedimus, hinc vero, cum ipsius *Divi Lutheri cathedra*, irridemur, exagitamur, vexamur. Nec enim hucdum Megalabri sedem vel perperam docendo, vel impie vivendo temere maculavimus. Veritati, & charitati, quantum fieri potest, studuimus, & etiamnum studemus, juvenes quoque, qui nostram in disciplinam, vel ab aliis traditi fuerunt, vel se ipsi dederunt, ad sancte custodiendam doctrinam, & pietatem vita moribusque præstandam, asvescimus, impellimus, excitamus. Nihil igitur est, quod in Cathedra
nostra

nostra Pietisticus furor jure desideret, quum qui docent in ea, nec veritatis, nec solidæ pietatis, studio, vinci sese ab aliis patiantur. Illa modo, quæ supra retulimus, capita, grandia illa, & atrocia peccata sunt, non in *Spiritum Sanctum*, sed in *fanaticum*, commissa, quorum veniam impetrare ab eo non possumus. Quæ tamen, si vel cum doctrina erronea, vel vita etiam hypocritica, commutare vellemus, haud dubie, quæ nunc cathedra fudes in oculis est, deinceps in deliciis haberetur, & Pietistarum elogiis, perinde ut vicina quæpiam, certatim celebraretur. Sed malum a Sanctulis vituperari, quam laudari, satiusque est hominum, quam DEI gratia carere. Durat adhuc Academiae honor, & ad invidiam Diaboli, & sociorum ejus, durabit. Nondum, quæ Dei gratia est, ruinam minatur cathedra, etsi tot rerum in Saxonia conversionibus, ac nuper admodum Gothorum irruptione, concussa: nec Academia *pedem jam alterum in sepulcro habet*, ut pasquillarius scribebat, non quid verum esset, sed quid ipse in votis suis haberet, effutiens. Floret adhuc artibus, literis, doctoribus, & studiosæ juventutis non contemnenda frequentia, majore certe, quam adversarii nostri æquo animo ferre possint. Erit etiam, quod spero, precorque, aliquando tempus, quo multi ad seipsos reversi, ubi, quorsum eruptura sint Novaturientium consilia, deprehendent, non minore hanc Cathedram gratia, & favore, quam nunc odio, & invidia, prosequentur. Fieri enim non potest, quin veritas, sanctimonia, & candor, utut aliquandiu premantur, & jaceant, colligant tamen sese, efferantque caput, & pristinas vires recuperent. Gratulor interim almæ Matri, quod subinde Viros erudite pios, & pie doctos emittit, & quidem numero plures, quam, quæ nescio, quanta discentium multitudine superbiunt. Perendino die, quod gratiæ ac bonitatis divinæ documentum interpretor, novem omnino doctrina, pietate & munium amplitudine gravissimi Viri Doctores Theologiæ, in templo arci contiguo, solenni ce-

B

remo-

remonia renuntiabuntur. Hodierno, quod idem fortunet Deus! quartum, intra mensem, Theologiæ Candidatum ex his tabulis vobis significamus, Commilitones svavissimi. Is vero est Vir Admodum Reverendus, Nobilissimus, Præcellentissimusque, M. AUGUSTUS MULLERUS, hucdum Ordini Philosophorum apud Nos Adscriptus, nunc autem Ecclesiæ Jessenensis Pastor, hujusque ac vicinarum, Antistes legitime vocatus. Natus est anno seculi superioris nono & septuagesimo, die XVII. Decemb. Meuroviæ, pago, vix duos abhinc lapides sito. Pater ei fuit *Matthias*, Pastor illius, & Reinharzensis Ecclesiæ per XL. & quod excedit, annos, ac diocecesos Kembergensis senior, quem anno superiore se amisisse etiamnum hoc acerbius dolet, quod is, pro sua in filium indulgentia, non particulam quandam, sed integram fortunarum massam eidem bene educando impendit. Mater, per Dei gratiam superstes, est *Maria Magdalena, B. Joannis Casp. Michaelis*, Pastoris quondam, in ditione Anhaltina, Werbensis, filia, quæ nunc, amisso marito, propemodum ad inopiam redacta, solatium expectat a Filio. Adulterior factus traditus est in disciplinam *M. Peiskeri*, & *M. Winkelmanni*, qui scholam oppidanam apud Nos laudabiliter moderantur. Domum revocatus usus est per biennium institutione multo fidelissima *M. Buccii*, Ecclesiastæ nunc apud Torgavienses facundissimi, cujus scholis eo usque est delectatus, ut Vitembergam redux Ebræas præcipue literas ab eodem imbibendas sibi esse, putaret. Hinc Martisburgum migravit, contulitque se ad *Hübnerum*, qui scholam ejus urbis magno literarum incremento, nec minore nominis celebritate, hoc tempore gubernat, cujus etiam fidei jacta doctrinæ fundamenta potissimum se debere, non sine gratæ mentis significatione, fatetur Candidatus Noster. Sub initium anni XCIX. sup. sec. Rectore t. t. Magnifico *D. Hornio*, Pot. Pol. Regi, & Elect. Sax. a provocationum consiliis, & Antecessore juris, Patrono, & Collega nostro præcipue

pue observando, rediit ad hanc Almam, futurus nunc Academiae civis, qui aliquot ante annos scholae oppidanæ fuerat alumnus. Etsi vero hauriendæ Philosophiæ jamdum in Gymnasio Martisburgensi operam nonnullam impenderat, hanc tamen in Academia studiosius, & accuratius sibi excolendam esse putavit. Adhæsit igitur inprimis *Schröero*, *Metaphysicæ*, & *Pneumaticæ*, semel ac iterum prælegenti, ac repetenti. Tum vero audivit *Kunadam*, nunc Past. & Antistitem Annæmont. in *Physicis*: *Jo. B. Wernberum*, nunc Juris apud Nos Antecessorem, in *Matheſi* (hanc enim docebat t. t.) *B. Rörensium*, in *Moralibus*, imprimisque de J. N. & Gentium: *B. Schurzfleischium*, incomparabilem Polyhistorum, in historicis. Ad sanctiores disciplinas progressus junxit sese Doctoribus Theologis, publice, ac privatim, divinissimi argumenti materias explicantibus, *B. Deutschmanno*, *Löschero*, *B. Hannekenio*, & *B. Neumanno*. Neminem enim præterit, ne me quidem, qui tum extra ordinem docebam Theologiam, cui, seu *Antiquitates Ecclesiasticas*, seu *institutiones Theologicas*, ad Königii ductum, seu denique alias sanctissimæ disciplinæ partes traderem, sedulam & constantem auscultandi operam navavit. Exeunte superiore seculo Artium Magister creatus est, Brabevta *Muffigkio*, t. t. Ordini sapientum Adscripto, nunc apud Belticenses Past. & sacrorum Antistite. Semestri abhinc spatio ab Amplissimo sapientum Collegio potestatem privatim docendi Philosophiam concedi sibi petiit, cumque, habita, Præside *B. Rörensio* disputatione, dignum se istis partibus ostendisset, facile impetravit. Ab hoc tempore non solum moderandis juvenum quorundam studiis est adhibitus, sed scholas etiam, quibus *Metaphysicæ*, *Pneumaticæ*, *Philosophiam* de moribus, aliasque disciplinas, tradidit, privatim instituit, additis etiam *bene dicendi*, *disputandique* exercitationibus. Cum pluribus deinceps virtutis & ingenii documentis Patribus se commendasset, ante hos sex annos, IV Cal. April. Ordini Sapientum adscriptus, locum sibi tributum Dissertatione, *de tribus Jacobis inter Apostolos*, vindicavit. Non ita multo post Senatui Ecclesiastico in Urbe regia se stitit,



rationemque locati in Academia temporis, annuique cum primis beneficii, reddidit & probavit. Triennio abhinc inter Candidatos Theologiæ, quos sic vocamus, recipi petiit, scriptaque non ineleganti dissertatione *de Fervore, Tempore, ac frigore Theologico*, quam meo sub præsidio defendit, ex merito impetravit. Hoc facto non solum frequenter concionatus fuit ad populum, sed scholas quoque sacras, quibus nunc *institutiones* religionis Christianæ prælegit, nunc *examinando, disputandoque*, ingenia exercuit, nunc denique *rationem pro suggestu docendi* monstravit, aperuit. Quibus ille moribus, virtutibusque effecit, ut, & amplius subinde beneficium ab Augustissimo REGE acciperet, & Eidem, ubi vacuus fuit in Academia locus, a Patribus, semel, atque iterum, demississime commendaretur. Ad extremum vero evenit, ut Ecclesiæ Jessenensis, cujus sacerdotium antiquitus est in clientela hujus Academiae, Pastor, concordissimis Patrum suffragiis crearetur. Quam quidem eorum voluntatem Serenissimus ac Potentissimus REX noster non modo ratam habuit, sed Eundem quoque Jessenensis, & vicinarum Ecclesiarum, Antistitem esse jussit. Ceterum uti solidæ rerum divinarum notitiæ conscientiam habet, sic e re sua fore putavit, si, antequam hinc discederet, virtutis doctrinæque speciminibus editis, veniam consequendi summos in Theologia honores ab ordine Nostro rite, recteque impetraret. Cras igitur, quod felix faustumque sit! ab hora IX. Orationem, quam vocant, inauguralem e DIVI LUTHERI CATHEDRA, more majorum publice recitabit. Qui, ut PRO-RECTOR Academiae MAGNIFICUS, Patres illius CPTi, hospites denique ac literarum fautores OO. honoratissimi, frequentes ac benevoli, auscultare dignentur, meis, Collegiique verbis, reverenter ac officiose rogantur. Ego vero, ut Statori Almæ Matris, vindicique, DEO, pro omnibus, quas hucdum luculentas dedit, misericordiæ, ac bonitatis significationibus, gratias, quanta fieri potest, animi religione, persolvo; sic ea nunc voti formula desino, quam pii majores publice - docentium sedi inscribendam esse censuerunt:
CONSERVA CATHEDRAM, TER-SANCTE JEHOVA,
LUTHERI! P. P. Dom. Quadrages. A. R. S. c1515c X.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

Ye 3447

ULB Halle 3
003 033 120




Sb.

V317

03, 2001 Bd.





DEC
ORDINIS
ACADEMIA V
GOT
VVERNIS
SS. Theol. Do
Ordin. Templo
& Alumn.

LEC

S.



V. 45.
29
SI,
1700
US,
ubl.
IS,
75
vitis m
ecro
4, 48.

